



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Abbati De Alcobatia, F. Menendi & P. Exod. monachis Alcobatiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

Tandem verò cum dilectus filius noster G. sancti Angeli Diaconus Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legatus, intrasset Hispaniam, eandem causam venerabili fratri nostro Episcopo & dilecto filio Archidiacono Vlixbonen. delegavit: qui priorum iudicium sententiam confirmantes, interdicti & excommunicationis sententias in Ecclesiis ipsas & earum parochianos latam à primis iudicibus innovarunt, ac postmodum idem Cardinalis quod ab eis factum fuerat confirmavit. Quia verò nobis ad plenum non constitit de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus recepta ab eisdem Templariis parendi coram vobis iustitiæ legitima cautione, partibus convocatis inquiratis de prædicta sententia diligentius veritatem, & si eam inveneritis iuste latam, faciatis mandari executioni, & usque ad satisfactionem à partibus per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. eodem modo per omnia processuri, si forsan fratres ipsi noluerint quòd stent & pareant juri cavere. Alioquin partibus convocatis audiat causam ex integro, & ipsam appellatione remota mediante iustitia terminetis; non obstante privilegio in præjudicium Colimbrien. Ecclesiæ per subreptionem obtento. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ &c. XII. Kalend. Iunij &c.

*ABBATI DE ALCOBATIA,  
F. Menendi & P. Exod. monachis  
Alcobatie.*

**V**enerabili fratre nostro Colimbriensi Episcopo didicimus conquirente quòd cum fratres sanctæ Crucis monasterium de Arganil sub protectione sua nuper receperint, quod suis prædecessoribus episcopalia jura conlueverat ab antiquis temporibus exhibere, nunc quodam de Canonicis suis sine suo consensu ibi facto Priore, occasione cujusdam privilegij à bonæ memoriæ Clemente Papa prædecessore nostro veritate tacita impetrati, eidem Episcopo debitam obedientiam denegat exhibere; inde sumpta occasione, quòd per matricem Ecclesiam non Cathedralis intelligunt, sed Romanam. \* Quia verò non est nostræ intentionis ut jura fratrum nostrorum temporibus nostris indebitè minuantur, causam ipsam vobis duximus

committendam, per apostolica scripta mandantes quatenus si aliud vobis non occurrerit propter quod dictus Prior non debeat diocesano Episcopo respondere, eum ad præstandam dicto Episcopo debitam reverentiam, sicut prædecessores sui prædecessoribus Episcopi præstiterunt, appellatione remota per censuram ecclesiasticam compellatis. Nos enim per matricem Ecclesiam, Cathedralis intelligere volumus, non Romanam, non obstante privilegio in præjudicium Colimbrien. Ecclesiæ per subreptionem obtento. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ &c. III. Kalend. Iunij.

*EPISCOPO ET PRIORI  
Elborensi.*

**I**nnotuit nobis, venerabili fratre nostro Colimbrien. Episcopo conquirente, quòd cum olim magna pars Colimbriensis diocesis ab inimicis crucis teneretur invasa, bonæ memoriæ Innocentius Papa prædecessor noster Lamecensem & Auriensem Ecclesias Colimbriensi (sicut ex privilegio ejus apparet) concessit tamdiu detinendas, donec amissam partem diocesis rehaberet. Cum autem A. quondam Rex Portugalliæ diocesim illam liberasset à manibus \* paganorum, quandam partem ipsius dilectis filiis fratribus militiæ Templi, quandam verò monasterio sanctæ Crucis motu proprio assignavit, & in prædictis Ecclesiis Episcopos obtinuit ordinari. Ne igitur dicta Colimbrien. Ecclesia se doleat suo jure privatam, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis illis qui propter hoc fuerint evocandi, audiatis quæ hinc inde duxerint proponenda; & quod canonicum fuerit super his appellatione postposita statuatis, facientes quod statueritis firmiter observari. non obstante privilegio vel rescripto in præjudicium Colimbrien. Ecclesiæ per subreptionem obtento. Nullis literis veritati & iustitiæ &c. Quòd si ambo, &c. tu frater Episcope &c. Datum II. Idus Maij.

*DECANO VLIXBONENSI,  
Priori & P. Frodiz Monacho  
de Alcobatia.*

**I**nnotuit nobis, venerabili fratre nostro Colimbrien. Episcopo intiman-

*Epist. 223.  
Ejusdem ferè  
argumenti.*

*\* id est, Sarra-  
cenorum.*

*Epist. 224.  
Privilegium in  
grave detrimè-*

*\* In tertia Col-  
lacione: Vnde  
quia non*